



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 83. Sociniani variis nominibus insignes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

neutra Zwinglii, aut Calvinii opiniones adoptabat, sed potius confessioni Augustanæ infisteat: priusquam vero illarum decisio in Transylvaniam delata erat, Davidius huic confessioni olim addictissimus, qui & hujus controversiæ Auctor extitit, mutata animi sententia Tigurinæ confessioni nomen dedit: postea Calvinistarum nonnulli, qui sese in Sigismundi aulam insinuabant, tam insano furore contra Lutheranorum dogmata, ritusque declamabant, ac Genevensium, & Tigurinorum doctrinam tantopere extollebant, ut Princeps, qui antea Lutheri venenum avide hauserat, nunc concepta hujus erroris nausea adulterinam Calvinistarum, & sacramentarium reformationem amplecteretur.

§. LXXXIII.

Sociniani variis nominibus insignes.

Lubienieski
hist. Ref.
Eccles. Pol.

Interea Socini hæresis altiores indies radices in Polonia agebat: cum autem Catholici, Lutherani & Calvinistæ Sanctissimæ Trinitatis, ac Divinitatis Christi mysteria novis hisce erroribus impugnari cernerent, hinc Socinianis varia imponebant nomina; quippe I. *Trinitarios* vocabant illos, qui tres substantias, non autem tres Personas in Trinitate admittentes affirmabant, re ipsa

ipsa dari unicam naturam, & Deitatem tribus communem, non autem unam essentiam, sed unicum esse Deum supremum, magnum, eminentem, Creatorem omnium, qui nominaretur Pater, Filium vero & Spiritum Sanctum non esse verum Deum. Hujus generis Socinianorum Protoparens erat Servetus, qui suum errorem mutuabat ex deliriis Sabellii, qui naturæ unitatem adstruens Personarum Trinitatem inficiabatur.

II. Vocabantur *Unitarii*, & quidem propter eandem ferme rationem; hoc autem nomine in Transilvania, & Hungaria appellabantur omnes illi, qui in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum credebant, nonnisi tamen unicam Personam, scilicet Patrem omnipotentem, solumque Deum admittebant, affirmantes, quod sicut nonnisi unicus Deus detur in essentia, ita & nonnisi unus sit in Persona, seu unica Persona: nihilominus hi etiam adorabant Christum Dominum tanquam unicum Dominum, & unicum Filium Dei altissimi. Ea ex ratione per contemptum etiam nuncupabantur Ebionitæ, Samosatani, Photiani &c.

III. *Antitrinitarii* nominati fuere, eo quod inter hosce Novatores darentur nonnulli, qui Unitariorum doctrinam com-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Sæcul. XVI comprehendere non valentes, cum in
A. C. 1562. religionis rebus nil præter id, quod suæ
 rationi consonum crederent, admittere
 vellent, ceteros omnes Sectarios impu-
 gnabant; quippe Unitarii & Trinitarii
 saltem aliquam Trinitatis speciem pro-
 fitebantur: Antitrinitarii vero nullamo-
 mino admittebant, nilque reale in
 Deo præter ejus essentiam adstruentes,
 Personas divinas, & Personalitates pro-
 figmento habebant, proin necessario in-
 ferebant, nullam prærogativam Filio
 & Spiritui Sancto esse adscribendam, ex
 qua illum esse Deum argueretur. Ce-
 terum hoc systema quidam Poloniæ Mi-
 nistri confarcinabant.

IV. Denique *Pinczoviani* diceban-
 tur: primi enim, qui Divinitatem Chri-
 sti Domini impugnabant, Pinczovizæ
 morabantur. Vocabantur etiam *Fra-
 tres Poloni*, eoquod omnes novi Secta-
 tores, qui contra Trinitatis, & Incar-
 nationis mysteria bellum gerebant, mu-
 tuum inter se fœdus, seu societatem i-
 nirent, ut contra errorum suorum ho-
 stes sese eo potentius tueri possent,
 proin omnes illi, qui huic societati in-
 scribebantur, *Fratres* appellari ambie-
 bant. Nuncupabantur quoque *Socinia-
 ni* a Fausto Socino, cujus mentionem
 faciemus in Historiæ progressu: hic
 quoque suo novo systemate omnes ho-
 ice

ſce ſectarios in unum agmen coegerat. Tandem dicebantur *Monarchici*, eo quod affererent, quod tanquam unicum, & ſupremum Deum duntaxat Deum Patrem agnoscerent; hodie dum autem in Hollandia, & Anglia nominantur *Memoniſtae*, *Arminiani*, *Coccejani*, *Tremulantes*, ſeu *Quackeri*, cum enim Sociniani nomen ubique infeſtum eſſet, eorum potiſſimi ſeſe ſocietatibus toleratis ad- junxerunt.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LXXXIV.

Reſormatorum, & Socinianorum Synodus Xianzi in Polonia.

*Lubien. Hiſt.
Reſ. Eccl.
Polon.*

Primum ab anno Chriſti milleſimo quingentefimo quinquageſimo ſecundo, ac quinto Socinianorum numerus uſque adeo excreverat, ut Pinzoviæ, Cracoviæ, Lublini, Luclaviæ & Kioviæ, necnon in Volchynia Provincia & alibi ſectæ ſuæ Eccleſias erigere valerent, demum vero tantopere potentia augebantur, ut ipſorum factio prævaleret in Synodis, quas regnante Sigismundo Auguſto, tam ipſi, quam exiſtimati Reſormatores in Polonia celebrabant.

Ceterum jam ſupra illarum memimus Synodorum, quas Anno Domini milleſimo quingentefimo quinquageſimo quinto Pinzoviæ habebant: illud ve-